

Secundum igitur tria praedicta, ex quibus perfectio huius scientiae attenditur, sortitur tria nomina. Dicitur enim scientia divina sive theologia, inquantum praedictas substantias considerat. Metaphysica, inquantum considerat ens et ea quae consequuntur ipsum. Haec enim transphysica inveniuntur in via resolutionis, sicut magis communia post minus communia. Dicitur autem prima philosophia, inquantum primas rerum causas considerat.

Sic igitur patet quid sit subiectum huius scientiae, et qualiter se habeat ad alias scientias, et quo nomine nominetur.

[36] *Prooemium expositionis Libri de causis*¹

Sicut Philosophus dicit in X *Ethicorum*², ultima felicitas hominis consistit in optima hominis operatione quae est supremae potentiae, scilicet intellectus, respectu optimi intelligibilis. Quia vero effectus per causam cognoscitur, manifestum est, quod causa secundum sui naturam est magis intelligibilis quam effectus, etsi aliquando quoad nos effectus sint notiores causis, propter hoc quod ex particulare sub sensu cadentibus universalium et intelligibilium causarum cognitionem accipimus.

Oportet igitur quod simpliciter loquendo primae rerum causae sint secundum se maxima et optima intelligibilia, eo quod sunt maxime entia et maxime vera, cum sint aliis essentiae et veritatis causa, ut patet per Philosophum in

1. Texte latin d'après : Sancti Thomae de Aquino *Super librum de causis expositio*, H.D. Saffrey (éd.), Fribourg-Louvain, Société philosophique-E. Nauwelaerts, 1954; nouvelle édition Paris, Vrin, 2002.

2. *Ethica Nic.* X, 7; 1177a12-14.

II *Metaphysicae*¹, quamvis huiusmodi primae causae sint minus et posterius notae quoad nos: habet enim se ad ea intellectus noster sicut oculus noctuae ad lucem solis, quam propter excedentem claritatem perfecte percipere non potest.

Oportet igitur, quod ultima felicitas hominis, quae in hac vita haberi potest, consistat in consideratione primarum causarum, quia illud modicum, quod de eis sciri potest, est magis amabile et nobilius omnibus his, quae de rebus inferioribus cognosci possunt, ut patet per Philosophum in I *De partibus animalium*²; secundum autem quod haec cognitio in nobis perficitur post hanc vitam, homo perfecte beatus constituitur secundum illud *Evangelii*³: «haec est vita aeterna ut cognoscant te Deum verum unum».

Et inde est, quod philosophorum intentio ad hoc principaliter erat ut, per omnia, quae in rebus considerabant, ad cognitionem primarum causarum pervenirent. Unde scientiam de primis causis ultimo ordinabant, cuius considerationi ultimum tempus suae vitae deputarent: primo quidem incipientes a logica quae modum scientiarum tradit, secundo procedentes ad mathematicam, cuius etiam pueri possunt esse capaces, tertio ad naturalem philosophiam quae propter experientiam tempore indiget, quarto autem ad moralem philosophiam, cuius iuvenis esse conveniens auditor non potest, ultimo autem scientiae divinae insistebant, quae considerat primas entium causas.

1. *Metaphysica* II, 1; 993b26-31.

2. *De partibus animalium* I, 5; 644b31-34.

3. Johannes 17, 3.

Translatio
Philosophies Médiévales

THOMAS D'AQUIN
BOÈCE DE DACIE

SUR LE BONHEUR

Textes introduits, traduits et annotés

par

Ruedi IMBACH et Ide FOUCHE

PARIS

LIBRAIRIE PHILOSOPHIQUE J. VRIN

6, Place de la Sorbonne, V^e

2005